

## 74 COMMENT. IN I. CAP. SPHÆRAE

cipium V. et huius zodiaci semper reperiuntur in aequinoctiali circa  
lo, siue coluro aequinoctiorū primi mobilis, neque principium ☽ ☾  
in coluro solstitiorum. Monetur namque posterior hic Zodiacus sub il-  
lo priori paulatim versus signa orientalia prioris Zodiaci, hoc est, ver-  
sus signa illa, quæ posterius oriuntur, ascenduntue supra Horizontem.  
Vt si exēpli causa signum V noni celi hoc momento temporis adequate,  
& directe suppositum esset signo V primi mobilis, immediate post hoc  
ingredetur sub signo & primi mobilis; & postquā præcise, ac adequa-  
te fuerit sub signo &. statim ingredetur sub signum II, & ita deinceps  
subiret pedetentim alia, ac alia signa, quæ posterius oriuntur, do-  
nec iterum directe signo V primi mobilis supponeretur. Ceterum hac  
ratione Zodiacus noni cali simpliciter mouetur ad motum primi mobi-  
lis ab oriente in occidentem, quia nullum datur temporis instans post  
aliud, in quo non magis ab oriente recedat, & ad occidentem accedat,  
vt manifeste deprehenditur in quavis stella: Non autem simpliciter ab  
occidente in orientem, quoniam nunquam magis ab occidente recedit,  
aut ad orientem accedit, sed potius contrarium appetit; Dicitur tamen  
secundum quid moueri quodammodo ab occidente in orientem, quoniam  
etiam si occidentem nunquam deserat, & orienti appropinquet, acce-  
dit tamen ad signa orientalia, vt dictum est. Idem quoque prouersus di-  
cendum est de alijs sphaeris, vt de celo octauo, & orbibus septem pla-  
netarum. Quanvis enim continue trahantur a primo mobilis ab orien-  
te in occidentem; sensim nihilominus sub Zodiaco primi mobilis mouen-  
tur, petendo signa orientalia, seu quæ posterius oriuntur, & occi-  
dunt. Verbi gratia, cum Sol subiit totum signum V primi mobilis, in-  
cipit mox ex V sub signum & succedere, & ita deinceps, donec ite-  
rum subeat signum V.

HOC Igitur paflo verum est, Calos omnes moueri ab orien-  
te in occidente, & rursum omnes orbes infra primum mobile moueri ab  
occidente in orientem, id est, ad signa orientalia; Non autem simpliciter,  
cum nullum detur instans, in quo ab occidente orientem versus recedat,  
sed tantum sub alijs signis orientalibus reperiantur, vt manifeste sensu,  
& instrumetis percipimus. Vt enim simpliciter aliquid ex uno loco in  
alium dicatur moueri, necesse est, vt illum relinquat, & ad hunc acce-  
dat. Cum igitur nunqua videamus Solem, vel alias stellas, occiden-  
tem deserere, & ad orientem accedere, non poterimus dicere, eas sim-  
pliciter